

tus ac Ordines iterum atque iterum humillime supplicant: Et quemadmodum caetera Vniversa Sua Regna ac Provincias cum summa clementia et Justitiae moderatione administrat, Ita hoc quoque perpetuo fidele ac Catholicum Regnum per talem Banum gubernare atque administrare dignetur, qui, memor officij et Juramenti Sui, privilegia, libertates ac Immunitates fidelium Regnicolarum non ita temere violare praesumat, sed illibate conservet; qui cum fidelibus Statibus ac Ordinibus non capitales inimicitias sed mutuam amorem, pacem et concordiam colat, et se tanquam caput a membris amari patiatur; qui iuxta exigentiam officij sui praesidia Banalia non ad extremam desolationem venire permitat, sed collapsa etiam restaurari curet, et in eisdem illos quingentos milites Banales, quos Sua Maiestas soluit (qui iam admodum pauci sunt), integre in Suis Stationibus conservet; penes quem denique non solum pro defensione et conservatione Regni in avita fidelitate Sacratissimae Maiestatis Suae, verum etiam data occasione extra terminos etiam Regni Vniversi Status ac Ordines sub felicibus auspicijs Sacratissimae Maiestatis Suae fortunas, sanguinem et vitam ipsam effundere non dubitent.

Atque haec sunt, quae Status et Ordines Regnorum Croatiae et Slavoniae ad propositiones praetulatorum Reverendissimi domini Joannis Telegdi, Episcopi Nitriensis locique eiusdem perpetui Comitissae, et Illustrissimi domini Sigismundi Friderici a Trauthmonstorff, Liberi Baronis in Negaw, Burgaw, Gleichenpergh et Toczenpoch, Confiniorum huius Regni Slavoniae Generalis et Arcis Gracensis Supremi Capitanei, Praeterea Magnifici Pauli Apponi de Nagy Appon, Consiliariorum et Plenipotentiariorum Commissariorum, unanimi voto et consensu praesenti scripto respondere, hoc ipsumque scriptum Sacratissimae Caesareae Regiaeque Maiestati, tanquam Domino et Regi ipsorum clementissimo, medio eorundem dominorum Commissariorum cum demissa et effectiva ipsorum intercessione praesentare, superindeque primo et ante omnia optatum clemens ac benignum responsum expectare humillime voluerunt. Datum in Generali Congregatione eorundem Statuum ac Ordinum Regnorum Croatiae et Slavoniae, in Civitate Libera Regia Varasdiensi, pro die octava mensis Novembris celebrata Anno Domini Millesimo Sexcentesimo Vigesimo primo.

Quo quidem scripto saepefatissimis Dominis Plenipotentariis Commissariis praesentato, iidem Status ac Ordines Regni pro Communi bono et permansione Patriae infra scriptos Articulos statuerunt.

Et primo quidem ad propositionem eorundem Dominorum Commissariorum iidem Domini Status ac Ordines, ratione publicationis monetae Statuunt ac decernunt: Vt quemadmodum in Vicinis Provinciis quaevis Imperialis moneta curreret, sub eodem valore in ambitu quoque horum Regnorum, sub amissione rerum venalium, accipiatur.

Deinde quoniam Sacra Caesarea Regiaeque Maiestas presidium Pethrinense, quod extremam ruinam minatur, vel in priori vel vero in alio idoneo loco, ex fundamento aedificari facere benigne intendit; proinde ad propositionem eorundem dominorum Commissariorum pro videndo et eligendo eiusdem praesidij comodo loco, penes Illustrissimum Dominum Confiniorum huius Regni Slavoniae Generalem Capitaneum et Suae Maiestatis ad id delegandos Commissarios, eliguntur ex parte horum Regnorum Reverendissimus Dominus Episcopus Zagrabiensis cum